



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Prvdentia Et Cæteris In Confessario requisitis ad ritè
fructuoséque Diuini ministerij sui munera obeunda,
Tractatvs**

Regnault, Valère

Lvgdvni, 1611

Cap. XX. De diminutione & mutatione satisfactionis impositæ à
Confessario, & acceptatæ à pœnitente.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41341

cuius maximè impulsu dirigi oportet in peccatorum curatione, vt sit fructuosa.

Remedia
particularia
vnde pe-
tenda.

Remedia particularia aduersus varias species peccatorum relinquemus Confessario comparanda sibi librorum piorum lectione (quam debet familiarem habere) præsertim cùm nimia prolixitas vitanda sit, & antedicta sufficiant ad ipsum dirigendum in illis eligendis; & ad illorum defectum supplendum, ostendèdo tale peccatum ex tali fonte oriri: proinde adhibere debeant talia remedia, per quæ tollatur causa, ex qua manant. In particularibus pœnitentiis verò pro iisdem peccatis imponendis, dirigi poterit idem Cōfessarius, tum per antedicta de imponendis pro capitalibus, tum etiam per Canones pœnitentiales in eum finem descriptos in præced. capite.

CAPVT XX.

*De diminutione & mutatione satisfactionis
imposita à Confessario, & acceptata
à pœnitente.*

SUMMARIVM.

1. Duo modi, quibus per interpretationem potest satisfactio relaxari.
2. Satisfactio etiam si iuste imposita, & acceptata, mutari, aut diminui potest à Confessario, iusta de causa.
3. Quid in hac re amplius possit Confessarius, qui satisfactionem imposuit, quàm alius.
4. Superior Confessarij potest satisfactionem ab eo impositam

positam mutare, aut minuere. 5. Potest & equalis Confessario, ac etiam inferior. 6. Argumentum in contrarium, cum illius solutione. 7. Exceptio casus, in quo superior sibi reservasset talem mutationem, aut diminutionem; aut in quo imposita fuisset pœnitentia, ob peccatum reservatum. 8. De satisfactionis relaxatione per indulgentias notanda pro praxi. 9. Ad relaxationem iustæ satisfactionis Sacramentalis, secundum probabiliorē sententiā, requiritur iteratio Confessionis peccatorum, pro quibus imposita fuit. 10. Ratio in qua talis sententia fundatur.



Væ ad hanc rem pertinēt, sufficienter ad praxim comprehendi possunt aliquot propositionibus. Quibus præmittendum est, præter mutationem, & diminutionem (de qua nobis est sermo) à Confessario faciendam, dari eiusdem satisfactionis interpretationem (quæ non est actus potestatis sacerdotalis, sed prudentiæ, ac doctrinæ) idque duobus modis. Quorum alter est, cum quis rationabiliter iudicat clauem à principio errasse: seu impositam esse satisfactionem iniustam; ideoque declarat pœnitentem non teneri ad illam implendam. Alter verò cum à principio quidem fuit iustè imposita, sed postea pœnitens factus est impotens ad eam implendam: vel exorta est alia causa sufficiens ad illum excusandum. In quo etiam casu locus est interpretationi, quia cum impotentia, aliave excusandi causa adest, reuera sufficiens, non tenetur pœnitens mutationem postulare; quia ratio obligationis cessat in præcepto, quando ipsum cadit in actum, qui non est moraliter possibilis, aut non est conveniens. Quæ ratio cum

1. Interpretatio pœnitentiæ datur, & quæ illa sit.

tio cum perseverat, non est pœnitenti liberum (ne quidē in melius) mutare propria auctoritate illud, quod sibi in satisfactionem à Confessario impositū acceptauerit: quantumvis in melius mutare possit illud, de quo votum fecit. Ratio est, quam habet Henriquez *a*, quia homo per suam tantum voluntatem adstrictus est voto; ad pœnitentiam autem implendum adstringitur per sententiam Confessarij tamquam superioris sui.

a in 1. part.
Theol. moral. libr. 5. c.
20. §. 5.

2.
Iusta de causa mutari potest aut diminui pœnitentia ab alia imposita.

b eap. 26. nu. 22.
Dispensatio in voto locum habet iusta de causa.

Confessarius est iudex absolutus.

c qu. 2. art. 3. in calce.

3.
d ibid. ante solutionem argumentorum.

Prima verò propositio de mutatione aut diminutione faciendâ per Confessarium est iustam satisfactionē mutari, aut diminui posse iusta de causa: nempe ut habet Nauarrus in Enchir. *b*. quia pœnitens bona fide putat se non posse, aut non sine magna difficultate, aut periculo salutis animæ, vel corporis talem pœnitentiam implere. Cuius propositionis fundamentum est, quod si in voto locum habeat non modò commutatio, sed etiam dispensatio, per quam obligatio eiusdem voti nunquam implendi tolli etiam in totum potest, cum adest iusta dispensandi causa; nihil sanè sit cur negemus commutationem, & diminutionem, habere quoque locum in satisfactione acceptata à pœnitente. Debet verò iusta adesse causa; quia ut votum rationale, ita & sententia iusta Confessarij acceptata, sic obligat, ut omninò seruari debeat, quando nulla causa subest, cur eam mutari, aut laxari oporteat. Quilibet enim Confessarius est Iudex absolutus, tamquam Christi minister immediatus: qui ut solvere à culpa, sic ligare potest ad pœnam, ut bene argumentatur Sotus in 4. distin. 20. *c*.

Ex quo *d* aduerte in commutanda aut diminuenda satisfactione, Confessarium qui illam im-

posuit.

posuit, non habere maiorem potestatem, quam ceteros Confessarios: nisi quòd pœnitente, qui illam acceptavit pro tali mutatione ad ipsum recurrente intra tempus, quo idem iudicium moraliter censetur adhuc durare, potest suam sententiam mitigare, sicut mitigasset, antequam satisfactio acceptaretur à pœnitente: tamquam adhuc durante iudicio, negotium nondum in rem iudicatam transierit. Tempus illud autem esse trium dierum idem Sotus definit inquit: si quis hodie, vel heri quempiam absoluit, isque recurrit præsens, cras, vel postridie, quando adhuc in memoria sunt peccata: videtur idem iudicium durare: sin autem longum tempus deflexerit, negotium iam transire in rem iudicatam: & ideo nō potest aliud facere sacerdos, qui satisfactionem imposuit: quàm quod de alio sacerdote dicitur. Hac ille, satis rationi congruenter. Quamvis, ut meminit Alfonso à Vivaldo, in priore parte candelabri aurei, e non defuerint qui plures dies assignarent permansioni morali talis iudicij ad effectum, de quo agimus sufficienti; quod relinquitur prudenti pensandum ex inspectione circumstantiarum cum humili imploratione diuini auxiliij. Cæterum si nulla grauis necessitas in contrarium vrgeret, & Confessarius nihil apud se certi statuere posset, deberet (quia tutius est) perinde agere in ea re cum pœnitente, ac iuxta post dicenda ageret alter qui talem satisfactionem non imposuisset.

Secunda propositio est: satisfactionem à pœnitente acceptatam, quando iusta adest causa, mutari aut diminui posse; tum ab eo qui illam imposuit, tum ab ipsius superiore. Hanc satis aperta ratio

cap. de satisfactione nu. 30.

4. Pœnitentia acceptata mutari potest, & à quibus.

DD

confirmat: quia licet Confessarius habeat à Christo
 auctoritatem præcipiendi satisfactionem: tale ta-
 men præceptum est humanum, vt pote quod pen-
 det à voluntate hominis; sicut lex Ecclesiastica est
 humana, etiamsi feratur à Papa, qui suam pote-
 statem habet à Christo. In præcepto autem huma-
 no, & is, qui illud dedit, & superior ipsius (quan-
 doquidem huius correctioni sententia illius subij-
 citur) potest dispensare, quando iusta causa adest
 dispensandi. Quare & in præcepto satisfaciendi,
 tum Confessarius qui illud dedit, tum superior ip-
 sius dispensare poterit. Sicque pœnitentiam à Paro-
 cho impositam mutare aut diminuere iusta de cau-
 sa potest, tum idē Parochus, tum Episcopus ipsius,
 tum etiam Papa: & impositam ab Episcopo tum ip-
 se, tum Papa.

5. Tertia propositio est; ab æquali, imò & ab infe-
 riori Confessario, posse ex iusta causa minui, vel
 mutari satisfactionem à pœnitente acceptatam. De
 hac est quidem difficultas aliqua, & in vtramque
 partem auctores refert Suarez tomo 4. sed vt idem
 notat, ea est communis sententia: quæ probatur
 ex eo quòd talis modus minuendæ, vel mutandæ
 pœnitentiæ sit in vsu; vt Sotus (qui contrariam par-
 tem sequitur) etiam fatetur. *g* Deinde quòd om-
 nes Confessarij respectu eorum peccatorum in quæ
 iurisdictionem habent, non impeditam, sint æqua-
 les in munere confessiones audiendi, & absoluen-
 di, cum proferant vltimam, & definitiuam senten-
 tiam tamquam immediati ministri Christi. Quare
 sicut ad perfectam potestatem ipsius Confessarij:
 atque ad perfectum Sacramenti pœnitentiæ vsum,
 maiusque remedium animarum pertinet, vt vnus
 & idem

Ab inferiori
 etiam potest
 vel æquali.

f disput. 38.
 sect. 10.
 nu. 4.

g in cit. art.
 3. sub finem.

& idem Sacerdos ; iterata ei confessione , possit mutare primò impositam satisfactionem, vel de ea aliquid demere ob bonã dispositionem pœnitentis, qui multò meliùs dispositus quàm priùs, accedit (siue quia maiorem habet contritionem , siue quia aliis viis satisfecit , aut lucratus est indulgentias) sic existimandum in diuersis Sacerdotibus sufficientem habentibus potestatem idem contingere quod in illo vno , præsertim cum pœnitens possit an ea factam confessionem iterare , sicut eidem Confessario , ita & diuerso idoneo: cuius prudenti iudicio impositio satisfactionis perinde relinquitur , ac si nondum esset de talibus peccatis facta confessio. Hoc enim iudicium tale est , vt ad bonum pœnitentis ordinatum, in fauorem eiusdem, iterabile sit super eandem causam : non quidem per modum appellationis , sed per modum noui iudicij æqualis iudicio præcedenti , quorum neutrum alteri officit : sed ipsum in sua integritate relinquit : eo quòd in pœnitentia foro reus hunc fauorem obtinet , vt sæpius de iisdem peccatis, si velit , iudicari possit : siue ab eodem siue à diuersis habentibus sufficientem iurisdictionem ; cùmque Deus contentus sit vna cõpetenti satisfactione (iuxta illud , quod dicitur *non iudicare bis in idipsum*) pœnitens ipse non tenebitur plures pluribus illis iudiciis competentes , pœnitentias sibi impositas implere, sed vnam , quam libuerit , quod etiam notat Suarez i.

Confessarius cui pœnitens eadem peccata confessus est , mutare potest prioris pœnitentiam.

h 23. quæst. 5. cap. Quid ergo. ex Nahum cap. 10.

i In sequen. nu. 7. sub finem. 6.

Atque ex his satis constat , infirmum esse argumentum allatum à Soto pro contraria sententia: nempe quòd quiuis Sacerdos pœnitentiam iniun-

gens, iudex sit absolutus suo tantum superiori subditus, cum par in parem non habeat imperium: ideoque alius ipsi æqualis, vel inferior, sententiam ipsius mutare nequeat. Respondetur enim ex dictis constare, quod in hac iudicij iteratione par in parem non exerceat imperium, sicut nec idem exercet in seipsum. Nam posterius iudicium non instituitur ad derogandum priori, sed ad consulendum pœnitenti, in cuius fauorem talis iteratio conceditur: ut liberum sit ei pœnitentiam nouam præsentis dispositioni accommodatiorem suscipere, ommissâ eâ quam in præcedenti confessione admiserrat. Sic ergo absque eo quod par in parem exerceat imperium, aut inferior in superiorem, fit, quod

¶ cap. 26.
n. 22.

7. Excipe tamen cum Syluestro ver. Confessio 1. & cum Rosella ver. Confessio 2. nisi certum sit, quod superior reseruauerit sibi talem mutationem, aut diminutionem: aut nisi crimen, pro quo imposita est pœnitentia, fuerit Superiori reseruatum, circa quod inferior, sicut nihil potest quo ad culpam, ut pœnitentem ab ea absoluat: ita nec quo ad pœnam, quæ per Ecclesiæ clauem imposita fuerit eidem culpæ annexa. Vnde quia eiusdem potestatis clauium est, absoluere à culpa, & ligare ad pœnam: fit ut inferior, sicut circa absolutionem à reseruatis, ita circa satisfactionem pro eis à superiore impositam nihil possit, nisi de ipsius licentia quam ut memorati auctores inquirunt, præsumitur dare, quando is non potest facile adiri, necessitasque

urget

¶ quæst. 27.
n. 4.

vrget, vel utilitas suadet satisfactionis ab ipso impositæ commutatione fieri. Videri potest Suarez *n n* in citata atque addi ex Nauarro loco citato cum spes adest breui adeundi superiorem, qui pro reseruatis im-

n n in citata
sect. 10. nu.
13. & sequē-
tibus.

posuit pœnitentiam, huius impletionem differendam esse potiùs quàm ab alio Sacerdote faciendam ipsius mutationem, vel diminutionem. Cæterum non debet Confessarius præbere se facilem in mutanda, vel minuenda pœnitentia, quam alius imposuit: tum ne obsit bonæ æstimationi alienæ: tum ne petentibus præbeatur occasio facilitatis non implendi suas pœnitentias. Potiùs ergo ij remittendi sunt ad Confessarios, qui illas imposuerunt, si commodè adiri possint; sin minus, agendum est iuxta antedicta.

Confessarius
nō debet se
præbere fa-
cile in mu-
tada pœni-
tentia.

Quarta propositio, pro qua plures auctores refert Suarez *o*, est superiorem, qui habet potestatem dandi indulgentias, posse pœnitentiam ab alio impositam relaxare pro quantitate indulgentiarum, quas dare potest. Ratio est, quia per indulgentias remitti potest pœna debita pro aliqua culpa: ergo & tolli obligatio satisfaciendi pro illa. Aduerte autem incidenter quod Nauar. *p* habet in comment. de indulgentiis ex communiter recepta sententia: abusum esse, usum quorundam: qui nullo vel suo, vel pœnitentis muniti priuilegio, huic concedunt indulgentias. Nā inferiores Episcopo, nihil tale posse, nisi ex superioris, id est, Papæ, vel Episcopi priuilegio: patet ex cap. Accedentibus. De excessib. Prælat. Ideoque audiendi non sunt contra sentientes quorum meminit à Viualdo in priore parte can-

g.
o in præced.
nu. 10.

Confessarius
qui habet
potestatem
dandi indul-
gentias po-
test mutare
pœnitentiã.
p notabili
31. nu. 9.

g cap. de in-
dulgentiis,
num. 6.

delabri aurei *q*. Aduerte etiam, quod monet Suarez *r*, posse per

r loco cit.



Per indulgē
tias relaxari
Possunt sa-
tisfactoriæ
pœnitentiæ
nō medici-
nales.

indulgentias relaxari pœnitentias impositas, prout satisfactoriæ sunt, non autem prout medicinales: quia indulgentia non datur in destructionem, sed in ædificationem animæ. Tollere autem medicinam curatiuam peccati, magnum est detrimentum animæ. Quare nō est ad id instituta potestas dandi indulgentias, neque ea intentione dantur. Vnde infert idem auctor his temporibus, considerato modo, quo pœnitentiæ imponi solent, rarò, vel nunquam licere propter indulgentias, ommittere impositas pœnitentias, v. pote quæ ordinariè sunt leuissimæ, & quæ vix sufficiant, per modum medicinae præseruatiuæ à peccatis in futurum: quæque requirantur ad Sacramenti integritatem, & obedientiæ suo Iudici exhibendam, & ad assuescendum bonis operibus.

Vnde sumi potest ratio eius, quod Henriquez habet in sua summa multis auctoribus in margine citatis, consecuta indulgentia etiam plenaria lustrali non debere pœnitentem se reputare liberum à pœnitentiæ iniunctæ præcepto.

Restat dubium, an iterari debeat confessio peccatorum, pro quibus imposita est satisfactio, quando hæc iusta de causa minuenda est, aut mutanda: de qua re Franciscus à Victoria de sacramen. & Nauarrus in Enchir. sentiunt nō esse necessariam talem iterationem. Sotus verò in 4. v. idē censet quidem si clavis errauerit, id est, si prior Confessarius nimis improportionatam peccatis, aut pœnitentiæ pœnitentiam imposuerit: quia tunc potest talis relaxatio extra confessionem fieri, atque adeo fieri à sacerdote, non tantum vt Confessarius est, habens juridicam auctoritatem ea declarandi, quæ perti-
nent

s lib. 5. c. 22.
§. 6. lit. b.

s ille nu. 211.
& hic c. 26.
num. 21.
v. distin. 20.
quæst. 2. art.
5. sub finem.

nent ad pœnitentis sibi subditi conscientiam; sed etiam vt pius doctor: qua ratione, ad ferendum re-
 ctum iudicium nihil amplius requirit, quàm vt suf-
 ficienter informetur de tota re, quod potest fieri si-
 ne Sacramentali Confessione, & faciendum esset, si
 doctor, qui consultitur, non esset sacerdos, cum de
 ignotis nemo prudenter iudicet. Si autem clavis nõ
 errauerit, sed pœnitentia fuerit debitè imposita,
 vult Sotus, ne superiorem quidem posse mutare,
 aut minuere impositam pœnitentiam nisi audita
 Confessione peccatorum pro quibus imposita est.
 Quod idè asserens Suarez x, pro eoque citans ad-
 huc Syluestrum, & Rosellam, bene probat: quia in
 pœnitentiali foro, potestas eadem est ligandi, aut
 soluendi. Quare sicut superior non potest ligare, seu
 imponere pœnitentiam Sacramentalem extra Cõ-
 fessionem: ita nec potest ab illa soluere, seu illã mu-
 tare. Confirmatur quia talis mutatio est actus iuri-
 dicus, iudicij fori pœnitentialis, sicut & impositio,
 quæ per eundem aufertur. Requirit ergo Sacra-
 mentalem Confessionem, sine qua tale iudicium
 esse non posse satis declarauit Concil. Trident. sess.
 14. cap. 5.

De ignotis
 nemo pru-
 denter iudi-
 cat.

x in eadem,
 sect. 10. nu.
 8.

DD 4